

1990-11-04 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Deus Superbis’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

DEUS SUPERBIS

**VENERABILIS DEI SERVA MARTHA LE BOUTEILLER
IN BEATORUM CATALOGO RECENSETUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – «Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam» (*1 Pt 5, 5*). Venerabilis Dei Serva Martha Le Bouteiller cui saeculare nomen Amata Adelaidis, suae vocationi fidelis ac Dei superiorumque pariter voluntati, laetanter et perseveranter humilitatis viam percucurrit, quae quidem divinae gratiae respondens donis, in Domino imitando, qui est mitis et humilis corde (cf. *Mt 11, 29*), constanter progressa est. Cotidianis autem officiis plane praestitis et modicibus muneribus demandatis, Evangelii oboedientiae clarum testimonium reddidit et ea religioso suo Instituto perutilis evasit aequae ac Dei populo, cum omnibus vitae prorsus Dei servitio dicatae praerberet exemplum et hominibus.

Tertio loco nata parentibus Andrea Le Bouteiller et Maria Francisca Morel, Dei Serva Venerabilis in oppido nata est quod Percy vocant, Constantiensis dioecesis, die II mensis Decembris anno MDCCCXVI quae eodem die per baptismi sacramentum renata est. Die autem XIX mensis Martii anno MDCCCXLI loco qui est St. Sauver-le-Vicomte Institutum ingressa est Sororum Scholarum Christianarum a Misericordia, ab ipsa conditricem recepta, Sancta Maria Magdalena Postel, eademque subsequenti anno religiosum vestimentum induit. A Beata Placida Viel, novitiarum magistra alta, die VII mensis Septembris anno MDCCCXLIII religiosa vota nuncupavit. XL annos in principi Instituti domo primum coqui sustinuit munus, tum agricolae, tum denique cellarii. Domesticos dein et opifices curavit, qui opus facturi Institutum petebant et ipsa adventiciis hospitibus prospiciebat. Silens nimirum et se abdens cuncta officiose, simpliciter et hilariter egit ministeria, quae gaudebat suae communitati inserviens, apud quam viva quidem sanctitatis famam consecuta est. Eminuit enim abnegationis spiritu, humilitate, regulae votorumque obtemperazione, prudentia. Fide autem perducta, spe et caritate, omni sua vita gloriam tribuit Deo, atque minime suis viribus fidens, ope precationis, meditationis, Eucharistiae necnon Domini passionis, Virginis Mariae cultus, auxilium gratiae flagitabat. Cor Deo cum dicavisset, eiusdem sub lumen usque inambulavit ipsiusque perfusa amore, quae nihil aliud exoptabat nisi ut eius pro regno operaretur. De hominum bono sollicita, quoad potuit misericordiae opera fecit, tum spiritalia, tum corporalia; et complures eius animi benignitatem experti sunt. Rebus vero mundanis amotis, magni bona aeterna existimabat, valde providentia fidens.

Meritum onusta, die XVIII mensis Martii anno MDCCCLXXXIII vita concessit. Eiusdem sanctitatis fama manente, Canonizationis causa incohata est, processu ordinario informativo celebrato Constantiae et Abrinci (annis MCMXXXIII-MCMXXXIV), quem, Causa introducta (anno MCMXLVIII), processus apostolicus (annis MCMXLVIII-MCMXLIX) consecutus est. Suetis dein inquisitionibus perfectis, nobis coram, die XXIV mensis Septembris anno MCMLXXXIII, decretum prodiit, quo Sororem Martham Le Bouteiller heroum in modum virtutes theologales, cardinales iisdemque coniunctas exercuisse agnovimus.

Interea in processu ordinario Constantiae et Abrinci (anno MCMXXXIII) habito et in processu apostolico apud Curiam (annis MCMXLVIII-MCMXLIX) de mira quadam sanatione argumenta collecta erant, quae ipsa deprecante Venerabili Dei Serva evenisse anno MCMXXIX ferebatur, quaeque eiusdem Instituti respiciebat sororem. Re hac apud Congregationem de Causis Sanctorum excussa eademque comprobata, Nobis coram decretum super miro divulgatum est die XXI mensis Decembris anno MCMLXXXIX. Statuimus idcirco beatificationis ritum subsequenti anno, die scilicet IV mensis Novembris celebratum iri. Hodie igitur hanc inter sacra ediximus formulam:

«Nos, vota fratrum nostrorum Antonii Mattiazzo, Episcopi Patavini; Andreae Quélen, Episcopi Molinensis; Angeli Rizzo, Episcopi Ragusensis; Iacobi Fihey, Episcopi Constantiensis-Abrincensis; necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servae Dei Elisabeth Vendramini, Ludovica Teresia de Montaignac de Chauvance, Maria Schinina et Martha Le Bouteiller Beatorum nomine in posterum appellentur, earumque festum die ipsarum natali: Elisabeth Vendramini die secunda Aprilis, Ludovicae Teresiae de Montaignac de

Chauvance die vicesima septima Iunii, Mariae Schinina die undecima Iunii et Marthae Le Bouteiller die decima octava Martii in locis et modis iure statis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti».

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet minime obsistentibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die IV mensis Novembris, anno MCMXC, Pontificatus Nostri tertio decimo.

AUGUSTINUS card. CASAROLI *a publicis Ecclesiae negotiis*